



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum  
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de**

**Coloniæ Agrippinæ**

14. Quid inobedientia, & quibus sit obediendum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40916**

riofitas, quamuis ille talis non manifestet, est mortale peccatum.

Tertiò, cum, vt feiat ea, quæ scire non tenetur, prætermittit scire ea, quæ obligatur scire: vt, si clericus velit scire negotia secularia, prætermittit scire: quæ scire secundum suum statum tenetur. Et denique, cum, vt feiat homo, prætermittit implere præceptum aliquod; vt, qui vt vacet studijs rerum aliquarum non necessariarum, prætermittit audire sacrum in die festo: tunc enim est mortale.

Quartò, cum sequitur scandalum graue aliorum: cum enim ex eo, quod aliquis discere, aut cognoscere vult, quæ non tenetur, dat graue scandalum alijs, graue etiam peccatum mortale est. His omnibus modis committitur curiositas; in quibus octo sunt casus, in quibus mortale peccatum incurri potest: in reliquis veniale est.

*De inuentione nouitatum.*

CAPVT XIII.

**A**lia filia inanis gloriæ, est inuentio nouitatum, quam S. Thom. 2. 2. quæst. 133. articul. 5. & alij multi solent nominare præsumptionem nouitatum. Est autem vitium hoc, cum aliquis vult mirabilia aliqua exhibere, vt laudem aliorum comparet; & quia noua mirabilia solent esse, ob id, vitium hoc dicitur inuentio nouitatum. Fit autem hoc tam in dictis, quam in factis: cum enim aliquis noua aliqua facta, & inuisitata facere vult hoc fine, aut nouas opiniones sustinere, & proferre, inuentor est nouitatum. Est autem hoc vitium ex se veniale, nisi aliqua circumstantia mortalis ei adiungatur, puta, quia est contra Dei honorem, aut in notabile detrimentum proximi, aut in finem mortalem, vt diximus de alijs.

*Quid inobedientia, & quibus sit obediendum.*

CAPVT XIV.

**V**ltima filia vanæ gloriæ est inobedientia: vt autem, quid sit, rectè percipiatur, opus est scire quid sit obedientia. Obedientia igitur est virtus, quæ promptum facit

*hominem ad implendum mandatum superioris, ut tale est. In qua definitione tres sunt partes.*

Prima est, *virtus*. Est enim obedientia, pars quedam iustitiae, quae in voluntate ponitur, ad perficiendum hominem in his, quae sunt ad alterum.

Secunda pars est. *Quae facit hominem promptum ad implendum ea, quae à suo superiore ei mandantur.* Aduerte tamen, quod dupliciter potest aliquis implere mandatum alterius.

Vno modo, materialiter, puta, dum facit ea, quae alius mandat.

Altero modo formaliter, dum facit ea hac intentione, & motiuo, quia ab alio sibi mandata sunt.

Primum pertinet ad virtutes alias ab obedientia: qui enim credit per fidem, & diligit per charitatem, & suffert labores per patientiam, facit ea, quae Deus mandat.

Secundum tamen pertinet ad obedientiam: velle enim ista facere, quia Deus ita vult, obedientiae est: ob id, additur in definitione illa pars tertia, *ut tale est*, id est, obedientiae est facere mandatum, quia mandatum est. Obedire ergo mandato ad quamlibet virtutem pertinet; & obedientia generaliter quaelibet virtus est: tamen formaliter, obedire est vnius, & determinatae virtutis, ab aliis omnibus distinctae. Ex hac definitione facile est cognoscere, quid inobedientia sit: est enim *transgressio mandati superiorum, quia mandatum est*. Transgredi enim mandatum materialiter, omnium est vitiorum commune: peccat enim homo recedit à regula rationis, & transgreditur mandatum, hoc motiuo, quia sibi mandatum, & praeceptum, & pertinet ad vitium peculiare, quod dicitur inobedientia. Habes ergo quid obedientia, quid inobedientia sit. Dices, quibus est obediendum? Dico, superioribus: non enim est obedientia, nisi ratione alicuius superioris. Vnde, filij parentibus, serui dominis, milites Duci, populi Principibus, clerici Episcopis, religiosi Praelatis, fideles Pontifici, omnes Deo obedire debent: similiter de alijs superioribus dicendum est.